Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



320

ad hebreos

dendi a deo viuo. Set adhortamini vos metipsos per singulos dies donec hodie cognominat ut nõ obdurcet quis ex vobis fallacia peti. Partices enim ipsi effecti sumus. si tamen initium substancie eius usque ad finem firmum retineamus: dum dicit. hodie si voce eius audieritis nolite obdurare corda vestra: quemadmodum in illa exacerbatione. Quida enim audientes exacerbauerunt: set nõ vniuersi qui profecti sunt ab egypto per moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis. Nõne illis qui peccauerunt: quorum cadauera prostrata sunt in deserto. Quibus autem iurauit nõ introire in requiem ipsius: nisi illis qui incredulis fuerunt. Et videmus quia nõ potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem:

Timeamus ergo ne forte relicta pollicitacione introeundi in requiem eius. existimetur aliquis ex nobis deesse. etenim et nobis annunciatum est quemadmodum et illis: set nõ profuit illis sermo auditus nõ admixtus fidei ex his qui audierunt. Ingredimur enim in requiem qui credimus quemadmodum dixit. Sicut iurauit in ira mea: si introibunt in requiem meam. Etsi opera ab institucione mundi perfecta: dicit enim quodam loco de die septima sic. Et requiescit deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum. Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam: et hi quibus prius annunciatum est nõ introierunt propter incredulitatem. iterum diminuit die quendam hodie in dauid dicendo. post tantum tempus sicut prius dictum est: hodie si voce eius audieritis nolite obdurare corda vestra. Nam si eis iesus requiem stituisset: nequaquam de alia loqueretur post hanc diem. Ergo relinquitur sabbatismus populo dei. Qui enim ingressus est in requiem eius: et ipse requiescit ab operibus suis sicut et a suis dis festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in id quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad diuisionem animae ac spiritus. compagum quoque ac medullarum: et discretor cogitacionum et intencionum cordis. Et nõ est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius: ad quem nobis sermo habetur. Igitur habentes pontificem magnum qui penetrauit celos iesum filium dei. teneamus spei nostre confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus meis: temptatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gracie eius ut misericordiam consequamur: et gratiam inueniamus in auxilio opportuno:

Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his que sunt ad deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit his qui ignorant et errant: quoniam et ipse circudatus est infirmitate: